Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



et ceciderunt iterum. Iterum ergo eos interrogauit. Quem quaeritis? Illi autem
dixerunt. Iesum nazarenum. Respondit iesus. Dixi uobis quia ego sum. Si ergo
me quaeritis sinite hos abire. Usque impleretur sermo quem dixit. quia quos dedisti
mihi non perdidi ex eis quemquam. Symon ergo petrus habens gladium eduxit
eum. et percussit pontificis seruum. et abscidit eius auriculam dexteram. Erat
autem nomen seruo malchus. Dixit ergo iesus petro. Mitte gladium in uaginam.
Calicem quem dedit mihi pater. nonne bibam illum. Cohors ergo et tribunus et minis
tri iudeorum comprehenderunt iesum. et ligauerunt eum et adduxerunt eum ad an
nam primum. Erat enim socer caiphe. qui erat pontifex anni illius. Erat
autem caiphas qui consilium dederat iudeis. quia expedit unum hominem mori
pro populo. Sequebatur autem iesum symon petrus. et alius discipulus. Discipulus
autem ille erat notus pontifici. et introiuit cum iesu in atrium pontificis. Petrus
autem stabat ad hostium foris. Exiuit ergo discipulus alius qui erat notus
pontifici. et dixit ostiarie. et introduxit petrum. Dixit ergo petro an
cilla ostiaria. Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille.
Non sum. Stabant autem serui et ministri ad prunas quia frigus erat.
et calefaciebant. Erat autem et petrus stans cum eis. et calefaciens se.
Pontifex ergo interrogauit iesum de discipulis suis. et de doctrina eius. Respon
dit ei iesus. Ego palam locutus sum mundo. ego semper docui in synagoga et in
templo quo omnes iudei conueniunt. et in occulto locutus sum michi nihil. Quid
me interrogas? Interroga eos qui audierunt. quid locutus sim ipsis. Ecce hi
sciunt. quae dixerim ego. Hec autem cum dixisset. unus assistens ministrorum
dedit alapam iesu dicens. Sic respondes pontifici? Respondit ei iesus.
Si male locutus sum. testimonium phibe de malo. Si autem bene. quid me ce
dis? Et misit eum annas ligatum ad caiphan pontificem. Erat autem sym
on petrus stans et calefaciens se. Dixerunt ergo ei. Numquid et tu ex discipulis
eius es? Negauit ille et dixit. Non sum. Dicit unus ex seruis pontificis.
cognatus eius cui abscidit petrus auriculam. Nonne ego te uidi in horto cum
illo? Iterum ergo negauit petrus. et statim gallus cantauit. Adducunt ergo ie
sum ad caiphan in pretorium. Erat autem mane. et ipsi non introierunt in pretori
um. ut non contaminarentur. sed ut manducarent pascha. Exiuit ergo